DE

JUDÆORUM SUPERSTITIONE

CIRCA

תקופות

PRÆSIDE

M. GEORGIO WENDIO,

GYMN. THORUNENSIS R. ET P. P.

DISPUTABIT

DANIEL BAUSIUS, LEOBURG. POMER.

OPPONENT

GODOFREDUS SCHILDIUS, LÖWIN. SILES.

& JACOBUS SCHMIDIUS, SWERINENS. POL.

A. D. FEBR. A. O. R. M. DCCIV. H. L. Q. S.

THORUNII,

EX OFFICINA NOBILISS. SENATUS ET GYMNASII.

Θεῷ Διδόντι.

TRADITIO JUDÆORUM.

Tempore Tekuphot sive Revolutionum Solis non est consultum, bibere frigidam aut vesci cibis. Aqvæ enim cibiqve tunc temporis à dæmone, vel sangvine occulto, tantopere inficiuntur, ut, nisi per clavum ferreum, præservari illa neqveant. Qvisqvis ergo isto qvidem temporis articulo ab aqvis sibi non caverit, Mortem, certè Morbum lethalem & sanatu difficilem, sibi accelerat.

Censura Christiana.

§. I.



Qvid & *qvotnam* Judæorum sint Tekuphot, è Chronologicis ipsorum scriptis apprime constat. *Tekupha*, vi vocis, nihil aliud est, qvam circumactio, revolutio, circulus, periodus. Exod. XXXIV. 22. Psalm. XIX. 7. Antiqvitus (secundum Joseph. Scaligerum libr. IV. de Emend. Temp. p. 167.) momentum ea erat, in qvo annus antecedens desinebat, & seqvens incidebat. Rabbini qvatuor anni qvadrantes, qvos *Solstitia* & *Æqvinoctia* nostri vocitant, Tekuphot indigitant. *Numerus* earum est qvaternarius. Prima, cujus initium præ ceteris superstitiose indagare solent, Tekupha *Nisan* seu vernalis, in XV. Aprilis; secunda Tekupha *Tanuz* seu æstivalis, in XV. Julii; tertia Tekupha *Tisri* seu autumnalis, in XIIII. Octobris; ultima Tekupha *Tebeth* seu brumalis, in XIIII. Januarii *styli Juliani* regulariter incidens, nuncupatur. Prima qvoqve Æqvinoctio verno, secunda Solstitio æstivo, tertia Æqvinoctio autumnali, qvarta Solstitio hiberno, respondere dicitur.

§ II.

Qvicqvid vero unqvam de iis asseritur, Censuram meretur, & Superstitionem non parvam redolet. Qvodsi enim 1.) *Computationem*, 2.) *Subjectum*, qvod infici creditur, 3.) *Infectionem ipsam*, 4.) *Causam*, vel à sangvinea, vel dæmoniaca Elementorum corruptione petitam, tandem 5.) *Præservativum*, arcanæ ferri qvalitati adscribi solitum, ad Lydium Veritatis lapidem examinaverimus, abunde satis deprehendemus, nullum ea in Theologia aut Philosophia fundamenrum habere, & propterea non, nisi superstitiose, timeri Tekuphot.

§ III.

In *Computandis* istis Revolutionibus Apellæ neq; inter se invicem, neq; nobiscum, conveniunt. Non inter se: qvi enim cum R. Samuele 365. dies & 6. horas cursui solari annuo assignant, 91. d. 7. hor. cum semisse; & qvi cum R. Adda, prioris Censore, annum solarem tropicum 365. dierum, 5. hor. 997. scrupulorum, & 49. momentorum dicunt esse, 91. d. 7. hor. 519. scrup. & 31. moment. pro termino Revolutionis cujuslibet agnoscunt. Vid. Strauchius in Dissert. Chronol. de Computo Talmudico-Rabbinico, §. 29. Deinde neqve cum Nostratibus. E. g. superiori anno M. DCCIII. *Christiani* Æqvinoctium vernum d. 21. Mart. *Judæi* 4. Aprilis: *illi* Solstitium æstivale d. 22. Junii, *hi* 5. Julii; *illi* Æqvinoctium autumnale d. 23. Septembr. *hi* 6. Octobris; *illi* Solstitium hibernum d. 23. Decembr. *hi* 4. Januarii ejusdem anni, in Fastis suis annotarunt. Utri jam magis credendum? Revera, ubi Principia suspecta sunt, ibi principiata qvoqve citra controversiam sunt talia. Ubi Computationis *terminus* incertus, ibi non potest non *Eventus*, eidem appropriatus, incertus esse, adeoqve & *metus*.

§. IV.

Insuper & circa *Subjectum*, qvod tempore dicto infici creditur, non parum illi discrepant. In vulgaribus Calendariis *Aqva* qvasi sola dissuadetur his verbis: Nu wellen mir schreiben / worum ein jetlicher sol gewarnet seyn an die 4. Tekuphot, und daß man nit sol WASSER trincken in die Zeit / as die 4. Tekuphot gefallen / von Seconeh (Gefahr) wegen. Et Christopkorus Meier / Conversus Rabbi, in Tract. de modernis Judæorum Ceremoniis (Wittebergæ a. 1681. in 4. excuso) cap. 9. von den 4. Blut-Tagen seqventia habet: Wenn sie gesaltzene BUTTER oder gesaltzen FLEISCH im Hause haben / da legen sie einen eisernen Nagel drein / dieweil in Egypten die Wasser in Blut sich verwandelt haben / und besorgen / es wäre noch etwas Blut dahinten / und käme ihnen in ihre Butter und Fleisch. Josephus autem Scaliger l. c. libr. 7. p. 309. è R. Seadia Gaon docet, singulis Revolutionibus suum *στοιχεῖον*, & qvidem Tekuphæ mensis Tebeth, qvæ brumalis est, *aqvam*; Tekuphæ Nisan vernæ *aërem*; Tekuphæ Tamuz Solstitiali *ignem*; & Tekuphæ Tisri autumnali *terram* attribui. Qvæso, qvid hoc aliud est, qvam sibi non constare, ac, qvidnam præcise dissuadere conveniat, juxta cum ignarissimis scire? Me judice, si *aqva* sola vitiatur, nihil attinet, cumulare Superstitionem,

nem, & vitiata qvoqve pronunciare *reliqva elementa*, qvæ procul dubio ejusmodi corruptelæ, (ceu infra §. 9. patebit.) non sunt obnoxia. Et vice versa si & *reliqva elementa* labem suam patiuntur, qva fide solius *aqvæ* in Judæorum Fastis fit mentio? Si volueris, ut ne sanitatis jacturam faciant mortales, interest, singula candide determinare offendicula, nihilqve eorum, unde lædi possint, dissimulare.

§. V.

Periculum, ab *Infectione* dictorum *Subjectorum*, ut credunt, timendum, tale est. *Aqvæ* vel tantillum in isto Tekupharum *momento* bibens, (ex relatione Sebast. Münsteri, qvi Rabbinorum placita in Calendario Judaico p. 48. singulari fide, nec minori industria comportavit) vel *hydropisin*, vel aliam gravem infirmitatem evadere non potest. Ex mente R. Seadia Gaon, qvam Scaliger l. c. aperuit, Tekuphæ Solstitialis excessus efficit, ut *Mundus exignescat*, & fatalis illa Philosophorum ἐκπύρωσις eveniat. Tekuphæ brumalis excessus in causa est, ut iterum *Mundus exaqvescat*, & κατακλυσμῷ generali pereat. Deinde qvia omnino persvasum habent, ei periculum ὕδερου imminere, qvi in eo *momento*, qvo Tekupha Tebeth fit, aliqvid *biberit*; aut καύσωνος & ardentissimi morbi, qvi in Tekupha Tamuz ad *ignem* accesserit, propterea superstitiosissima curiositate articulum istum observant, ne forte imprudentes in malum immedicabile incidant. Nugæ profecto! Multorum temporum Observationes & simul sana Ratio edocent, *nulla* omnino, ad minimum non *talia tantaqve*, pertimescenda esse incommoda. Dico 1.) *nulla*. Christiani enim pauperculi sæpius allegato temporis articulo frigidam avide bibunt, nec tamen unqvam, nisi per accidens, (h. e. neutiqvam ab aqva, qvà tali, verum ab aqva, casu forte vitiata,) morbum contrahunt. Unde jam Judæorum contagium? Dico 2. *nec talia, nec tanta*. Non negamus, circa Solstitiorum & Æqvinoctiorum periodos aliqvas in natura mutationes observari, siqvidem Medicorum & Astronomorum Ephemerides passim id comprobant; tam subitaneas autem, tamqve prodigiosas eas esse, qvis dixerit? Ecclipses ecce! qvibus *Solem*, & qvidem interdum per aliqvot *horulas*, non *momenta*, *obfuscari* novimus, naturalem qvidem corpori naturali, minime vero totalem ejusdem, vel etiam totius naturæ, alterationem & destrunem portendunt: qvanto minus Tekuphoticæ Vicissitudines, qvibus *Solem* in aliam solummodo sive Tropici, sive Æqvatoris, stationem, & qvidem, ceu ipsi Judæorum Computistæ loqvuntur, *in momento*, *remigrare*, (non

ob-

obscurari.) planissimum est. Sane! Unicus frigidæ haustus hydropem; momentaneus ad Ignem accessus febrim ardentem, non causabitur. Terrarum Orbis, ceu ex Geneseos VIII. cap. ℣. 21. liqvet, non amplius aqvarum vorticibus absorbebitur, & qvando tandem ille peribit, non natura, sed DEO, ordinante, iterum dissolvetur. Qvid ergo hoc est, si Superstitio vana non est? Timere id, unde infortunium nullum pertimescendum, & ex adverso confidere in eo, unde suppetiæ nullæ sperandæ, Superstitionis characteres sunt exqvisitissimi.

§. VI.

Qværis jam, B. Lector, qvænam tantæ Haloseos, vel qvasi, *Causa*, & qvis Phaëton ille, qvi forsan anomalica Solis directione tam grandem humano generi calamitatem accersere videatur? An suspicaris, Arietis, Cancri, Libræ & Capricorni signa tam esse suspecta, ut, qvoties siderum princeps orbes eorum emetitur, simul vitiosa μιάσματα, ab iis t. t. contracta, in hæc inferiora transmittat? Audi Judæos. Alii *sangvineis guttulis*, tum temporis (si diis placet,) *de cœlo destillantibus*, alii *cessanti Angelorum custodiæ*, Catastrophas istas in acceptis referunt. De prioribus Majerus supra allegatus l. c. contribulium suorum Vanitatem hisce lineolis detegit: Die Juden legen im Monat Nisan in ihre Butter oder Fleisch einen eisernen Nagel/ dieweil in Egypten die Wässer in Blut sich verwandelt haben/ und besorgen/ es wäre noch etwas Blut dahinten/ und käme ihnen in ihre Butter oder Fleisch. Exod. VII. ℣. 20. seq. Im Monat Tamuz thun sie dergleichen/ weil GOtt gesagt hat wieder Mosen/ er solle reden mit dem Felsen/ weil er aber ihn geschlagen sagen sie/ sey Blut heraus gegangen; Da fürchten sie sich nun/ es möchte noch etwas Blut davon übrig seyn/ das sie bekommen möchten. Num. XX. ℣ 8. seq. Im Monat Tisri thun sie diß darumb/ weil Abraham seinen Sohn Isaac am Halse geritzet/ daß Blut heraus gegangen/ da besorgen sie auch/ sie möchten etwas davon bekommen. Genes. XXII. ℣ 10. Endlich im Monat Tebeth haben sie einen Tag/ an welchem Jephtha seine Tochter geopffert hat; Da meinen sie/ es möchte der Tochter Blut auch über sie kommen. Jud. XI. ℣. 39. De posterioribus testatur Seb. Münsterus l. c. qvod de sententia Rabbinorum per singulas Tekuphas *SOLI specialis deputetur Angelus atqve Director, qvodqve eo momento, qvo Sol priorem complevit Tekupham, & seqventem inchoat, h. e. priusqvam director directori locum cesserit, possint* שרים *i. e. dæmones, in aqva exercere tyrannidem,*

non

non secus, ac cum Imperator qvispiam moritur, minores Domini grassentur in hostes suos, donec alius instituatur Rex, qvi eos à præsumptione qveat coërcere. Utrumqve complectitur Ebræorum לוח, anno Mundi 5428. h. e. anno CHRISTI 1668. Pragæ excusum, cujus verba, (ne videamur ipsis peregrinam mentem affingere,) utut barbara, non pigrabimur hunc transscribere: In Tekupha Nisan is verkehret woren die Wasser in Mizraim (Egypten) zu Dam (zu Blut). drum is eine Seconeh (Gefahr) Wasser zu trincken. In Tek. Tamuz hat השי' (GOtt) geredt zu Mose und Aaron/ sie sollen reden zum Felsen zu vor Augen gantz Israel/ daß er sol Wasser geben/ und sie haben den Felsen geschlagen/ do sagen unsere Cachamim, (Gelehrten) wie Blut araus gieng in alle Wasser in dieselbige Zeit. Drum is ein Seconeh (Gefahr/) Wasser zu trincken. In Tek. Tisri hat Abraham Abinu (unser Vater) wolt sein Sun Isaac schechten/ do seyn Tropffen Blut in alle Wasser kummen. Drum is eine Seconeh, Wasser zu trincken. In Tek. Tebeth is Jephtha Tochter geschecht geworen. Do woren alle Wasser voll Blut geworen. Drum is eine Seconeh &c. A. theil sagen eine andre Auslegung; Es seyn 4. Malachim (Engel) gesetzt über die Wasser zu hütten/ und jetliche Tekupha hütte ein Malach das Wasser/ und immerzu/ wenn ein Tekupha aus is/ und ein ander Tekupha kommt/ do giht der Malach (Engel) aus/ und ein ander Malach von die 4. Malachim giht ein/ und die Augenblick/ daß der Malach ausgiht/ und der andre eingiht/ zu hütten das Wasser/ do ist das Wasser derweil ohn Hüttung. Drum is eine Seconeh Wasser zu trincken in die 4. Tekuphot. Jam, si lubet, Censuram qvoqve unà nobiscum adhibe, L. B. Utut enim magni momenti non sint adducta à Rabbinis documenta, attamen ne vel Judæi affaniis istis ulterius sibi blandiantur, vel Christiani etiam nostri absurdum ipsorum fingendi studium nesciant, potissima saltem dispungere non abs re fuerit.

§. VII.

I. *Imber* ipsorum *sangvineus*, si qvid mihi credis, merum Ens rationis est 1.) Berneggerus, Becmanus, du Hamel aliiqve aliqva sangvineæ pluviæ, utut rariuscula & nulli tempori alligata, observarunt prodigia; qvis vero probabit nobis, *statas* qvoqve ejusmodi, & qvidem *ipso Tekupharum momento*, non prius, aut posterius, decidere pluvias? E tot Judaicæ Superstitionis mancipiis, qvæ super re ista reqvisita fuerunt hactenus, ne unicum qvidem inveniri potuit, qvod guttulas ejuscemodi

se

se vidisse jactaret vere. 2.) Exempla è Sacris Pandectis in auxilium vocata nihil ad rhombum faciunt. Isaaci collum non perstrinxit Abraham; è Petra per Mosen percussa limpida aqva, non sangvis, profluxit; & num Jephtha filiam suam immolaverit, ipsi Judæorum Magistri, R. David & R. Joseph Kimchi non immerito in dubium vocitant. Fluvios deinde ea tempestate sangvineum ibidem imbibisse colorem, itidem à Veritate alienum est. Unde jam sangvis, imbri Tekuphotico reservatus? 3.) Posito vero, non concesso, aliqva cruoris ibidem, æqve ac in Ægypti fluminibus, deprehensa fuisse signa, ergone sangvis iste aliis, similem culpam non committentibus, idqve per annum qvater, puniendis destinatus fuit? Dicant mihi Judæi, α) qvisnam Prophetarum plagam istam indixerit? β) Ubi & qvomodo interea Cruor iste à putredine tam diu conservatus fuerit? γ) Ob qvam culpam malum illud, & qvidem in privatis duntaxat ædibus, non item in amnium alveis, aut alibi, immineat? δ) Qvare ejus in Historia primorum & mediorum Seculorum nulla injiciatur mentio? & ε) qvare *Christianos* noxa ista non feriat? Certe profecto! cum Jehova Apellarum crimina sangvine expiare voluerit, affatim ejus inveniet copiam, nec rancidis putrefacti jampridem in Ægypto liqvoris opus habebit effluviis. 4.) Esto tandem & hoc, *Judæis* nempe *præcise* destinatum esse hunc Imbrem, ipso Tekupharum momento perferendum, qvis, obsecro, crediderit, tam insolitas eidem deberi vires? *Fætebant* olim *commutatæ in sangvinem aqvæ, adeo, ut homines renuerent ex iisdem bibere, & pisces in qvovis rivo intermorerentur*, Exod. VII. 24. sed ab hoc miraculo ad præsens negotium N. V. C. Ut enim nihil dicamus, illud Israëlitarum hostibus, hoc eorum successoribus, imputari; α) Illud *extraordinarie* & semel, hoc *ordinarie* & singulis annis qvater, accidisse dicitur. β) Illud mira sua abundantia tantum in Ægyptum invexit incommodum, hoc paucioribus guttulis similia præstare creditur. γ) Illud, (ut & hoc adjiciamus,) in inferiori, hoc in superiori, (aut nullibi existente,) Sphæra sedem suam habuisse perhibetur. Verbo: illud verum, hoc fictum & ementitum est. Absit igitur, rei vel non simili, vel verius nulli, similes vindicare effectus. Nullius Entis, secundum Philosophum, nulla sunt accidentia. Abeant malesani Apellæ, Imbremqve, qvem in natura non sentiunt, in cerebro non tolerent amplius.

§. VIII.

II. Qvicqvid deinde de *Angelis bonis*, Orbem, cum Sol cursum suum continuat, dirigentibus; & *malis*, aqvam, cum idem periodum suam absolvit, vitiantibus, prolatum fuit in medium, fundamentum itidem in re nullum habet. 1.) Sunt qvidem & inter Christianos, qvi stellis, adeoqve & Soli, certas *Intelligentias, Genios, Angelos*, tanqvam *formas assistentes*, associant. Fr. Titelmannus libr. VII. Phisos. Nat. c. 10. p. m. 181. seq. ita scriptum reliqvit: *De causa efficiente motus cælorum qvæstio est, an ab aliqvo principio intrinseco moveantur circulariter, qvod sit pars eorum, utpote à forma sua substantiali; an potius ab extrinseco aliqvo movente, qvod sua virtute cæleste corpus contingens, ipsum secundum circulum volvat. Ad hanc qvæstionem verisimilior responsio est, motum circularem orbium cælestium effective causari ab intelligentiis, vel mentibus beatis, qvas Philosophi dixerunt orbium motores, divinos, optima vita fruentes, nec tempore senectam, aut aliam qvamlibet inveterationem, suscipientes. Hos autem angelos nos appellamus, qvos si (Paulo docente) cognovimus administratorios spiritus esse, inqve ministerium mitti filiorum DEI generis humani, nihil profecto mirum videbitur, si & horum ministerio volvi dicamus cælestes orbes, ad utilitatem filiorum hominum. &c.* Conf. Nollius in Phys. Hermet. l. 3. c. 3. p. 165. Atvero isthæc opinio jamdudum explosa est. In cœlo Orbes aut sphæræ nullæ sunt, qvarum ductum & raptum seqvantur stellæ: Motus stellarum naturalis est, ex interno, ipsisqve congenito, non externo, proveniens principio. qvorsum igitur attinet, Orbibus aut sideribus in circulum agendis certas assignare Intelligentias aut angelos? Vid. Vossius libr. 2. de Idolol. c. 41. p. 534. seqq. Zeisold. Instit. Phys. l. 2. s. 1. art. 2. punct. 3. p. 49. seqq. 2.) Magna Dæmonum (qvis negat?) in Elementa potestas est, adeo, ut (non tollendo, sed commovendo eorum qvalitates,) *Ignem* cœlo dejicere, Jobi I. 16. *Ventos in aëre* ciere, ibid. ℣. 19. tempestates *in mari* gravissimas excitare, interdum & *Terræ motum* promovere posse videantur. Schottus in Phys. Curiosa. Libr. I. P. 2. c. 19. p. 51. seq. A Loco, qvem inhabitant, in qvo & vires potissimum suas exercent, alii qvoqve ignei, alii aërei, alii terrestres, alii aqvatici, dicti sunt. Id. ibid. p. 28. seqq. α) Ita vero restringere & limitare potestatem eorum, qvasi *extra Tekupharum momentum* aqvæ vel alii elemento nocere nil qveant, judaicum, h. e. temerarium, assertum est. Satanas ipse Jobi I. 7. fatetur, se circumire & perambulare Terram. β) Ita qvoqve è diametro extendere velle violentiam ipsorum, ut eidem ἐκπύρωσιν qvoqve ac κατακλυσμὸν

generalem subjicere non reformidemus, grandis in Theologia error est. Superius §. 5. jam evicimus, diluvium, qvale Noachicum erat, non amplius pertimescendum esse humano generi. Ceterum è Psalmo CII. 26. seq. Ebr. I. 10. seq. Apocal. XX. 11. abunde constat, non alium Mundi destructorem fore, qvam qvi ejusdem Conditor extiterat. Viderint itaqve malecreduli saperdæ illi, qvonam prætextu denuo superstitionem suam palliare voluerint. Multum fiduciæ in Angelorum præsidio, qvod hic nullum est, reponere, & Tekuphoticam Dæmonum perniciem nimium exhorrescere, factum est, nec prudenti, nedum religioso, homine dignum.

§. IX.

Qvale tandem est periculum, qvod reformidant, tale qvoqve est *Præservativum*, ejus impressioni oppositum, scilicet *imaginarium*, & propterea amplioris Censuræ vix indigum. Etenim ne animos, imminentium malorum metu perculsos, fatiscere tandem sinant Rabbini, hoc demum impertiuntur consilium, ut vasculo, cui forte inest aqva, paulo ante Tekuphæ terminum *clavus ferreus* imponatur. O vero invalidum præservativum! I.) Nemo *Antipathiam* hic subesse auguretur. *Ferri laminâ* unà cum sale & silicibus, dolii cujusdam operculo impositis, vinum qvidem à *fulminis* noxa defenditur. Wecker. l. 5. de Secret. c. 7. p. 181. Lev. Lemn. l. 2. de occultis Naturæ Mirac. c. 48. p. 255. Fulmen nimirum cum durissimis maximopere conflictatur, raris ac perviis, qvalia & vina sunt, intactis. Vid. Colleg. curios. Paris. Discurs. 19. p. m. 422. seqq. ubi arcanum istud ex professo expenditur. An vero *clavus ferreus* etiam in *sangvinem*, nescio, unde? venientem, vires suas exerceat, in Philosophia Experimentali Paradoxon est, & forte à nemine affirmabitur. *Ferrum & sangvis* in eodem qvandoqve hospitantur vase, nec ullum inter se dissensum sentiunt. Inqvis: *Hæmatites*, qvi ferri nativi qvasi medulla qvædam est, antipathetica omnino virtute *sangvinis* fluxum, sive is sit narium, sive uteri, sive aliarum partium, sistit. Ol. Worm. in Musæo l. 1. s. 2. c. 9. p. 64. Boëtius de Boot in Histor. Lap. l. 2. c. 207. p. 388. Ergo inter *ferrum & sangvinem* Antipathia aliqva intercedit. R. 1.) *Hæmatites & ferrum* qvalitatibus differunt. Ab illo ad hoc argumentari non licet. 2.) Hæmatites sangvinem sistit, sed *naturalem & in venis circulantem*, non extravasatum; qvodsi ergo vel maxime sangvinem fugaret ferrum, de hoc tamen prodigioso Judæorum sangvine idem afferere non esset integrum. *Æqvivocus* enim est, non *univocus*, immo *nullus*.

II.)

II.) Observandum est, istud præsidium *ex Ægypto* arcessitum, & propterea cariosum esse. Ita enim Autor libri Minhagim: Man thut ein eisern Nagel in Wasser/ und braucht es furt. Das is wol gut in *Tekupha Nisan*. Denn das Blut in Egypten war nit gewesen NB. in eiserne Kelim (Geschirr)/ aber NB die andern 3. Tekuphot weiß ich nit/ was der Nagel helffen sol. Ecce! α) bene fecit Judæus, qvod ingenue fassus est, in *sola Tek. Nisan* valere usum clavi, non item in reliqvis. hoc enim §. seqventi in usus convertemus nostros. β) Male autem sibi consuluit, qvod ἀλεξίκακον ex Ægypto petiit. 1.) Inter Ægyptiorum & hodiernam Judæorum αἱμαλομελάσασιν magna est differentia. Ibi *integra flumina, rivi, stagna, & qvicqvid aqvarum in ligneis ac lapideis vasculis* reclusum fuit, in sangvinem abiisse perhibentur, Exod. VII. 22. hoc loco autem *pauxillum* duntaxat aqvæ, qvantulacunqve nimirum in aliqvibus *vasis* ad domesticos usus reservari assolet, simile fatum experiri fingitur. Ergone vero tam benignum sentiunt Dæmonem, ut, cum olim integra flumina per Mosen sangvine tincta fuerint, iracundia illius hodie ad pauculas saltim sese extendat situlas? 2.) Hiulca qvoqve est hæc conseqventia: *aqva in ligneis & lapideis vasculis reclusa* perinde ac fluviatilis immutata fuit. Ergo *aqva in ferreis forte Celim* reposita nullam passa est immutationem. Ergo *ferrum est sangvinifugum*. Incertum nimirum est, an *ferrea* receptacula t. t. in usu ibidem fuerint, &, si fuerunt, annon in iisdem qvoqve peritura fuisset aqva. deinde constat, neqve *vitreorum*, neqve *fictilium* vasorum Exodi VII. injectam fuisse mentionem. Ergo qvod de *ferro* dictum ab iis est, de *vitro* qvoq; & *argilla*, aut nullis, affirmari poterit. Stupefiant itaqve Ebræi, stupefiant, & cum in negotio circa Tekuphot ubiqve *superstitionis & confusionis* convincantur, damnatis errorum tenebris ad lucem Veritatis aliqvando sese recipiant. *DEUS, qvi sine ferrei clavi adminiculo aqvas Gosenianas olim conservavit illibatas, sibi fidentibus hodienum similem præstabit gratiam.*

§. X.

Qvodsi vero tandem *sangvineus qvidam Imber* Judæorum genti indulgendus est, indulgebimus perqvam libenter, attamen NB. 1.) non aliâ, nisi Mensis *Nisan*, *Tekuphâ*, circa qvam Messias noster patiendo & moriendo mediatorium absolvit Officium. Ipsis enim Christi hostibus in suo לוח largientibus, tum qvidem, aliàs vero non item, (scilicet propter non timendam sangvinis plagam,) clavi ferrei usus est necessarius.

2.)

2.) *Causam* qvoq; aliam non admittimus, nisi qvia ipsi ita voluerunt, exclamantes: *Sangvis ejus super nos & super filios nostros!* Matth. XXVII. 25. Qvoniam videlicet proterve satis *sangvinis* CHRISTI respuerunt *Meritum*, justo DEI judicio factum qvandoqve est, ut *sangvinis* ejusdem experirentur *vindictam*. *Ex maledictione Parentum* (inqvit D. Augustinus in sermone, qvi incipit: in Cruce,) *currit adhuc in filios vena facinoris* NB. per maculam sangvinis, *ut per hanc importune fluidam proles impia inexplicabiliter crucietur, qvousqve se* NB. ream sangvinis CHRISTI *recognoscat, & pœnitens sanetur.*

SATIS!

JUVENI
Probo, modesto, gnavo,
DANIELI BAUSIO,
Domestico Suo,
DE JUDÆORUM SUPERSTITIONE DISPUTATURO,
FELICITER!

Formident alii, Tropicos cum mutat Apollo;
Tu vanum hoc statuis, frustra timetur Aqva.

Lmq. sc.
PRÆSES.

Tempore qvod certo lympha inficiatur, Apella
Credat; stultitiam BAUSIUS esse putat.

Commilitoni suo integerrimo de egregio Specimine gratulaturus Lmq. scr.
ANTONIUS GIERING,
Thorun. Pruss.

(NB. Thesi V. circa finem legas: *destructionem* (non destrunem,) portendunt. Est enim sphalma typograph.)